Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistulae - Cod. Aug. perg. 52

[S.l.], [9. Jh.]

Hieronimus an Damasus

urn:nbn:de:bsz:31-6736

Visual Library

ut haec ſententia uera eſſ& & ſicut opto ut ſi uera eſt abs te liquidiſſime atq; inuictiſſime defendat
Propoſuiſti teſtimonia quae non de alterius ſcripture loco ſed de propriis libris HIRONIMUS
abſoluta ſunt. Reuertatur puluis in terram ſuam unde ſumptus eſt & ſp̄s conuertatur ad d̄m
qui dedit illum. & quaſi ſatis ridendi qui putant animas cum corporibus ſeri & non a d͞o ſed a corporū
parente generari. Cum enim caro reuertatur in terram & ſp̄s redeat ad d̄m qui dedit illum
manifeſtum eſt d̄m parentem animarum eſſe non homines AUGUSTINUS
Illam uero opinionem quod ex una fiant om̄s animę. nec diſcutere uolo niſi neceſſe ſit atq; utinam
iſta de qua nunc agimus ſi uera eſt ſic abs te defendatur ut hoc neceſſe iam non ſit quam uis autem deſi
derem rogem uotis ardentibus & optem & expectem ut per te mihi d̄ns huius rei auferat igno
rantiam HI E RO NI MUS
Iuxta beatum apoſtolum unuſquiſq; in ſenſu ſuo habundat. Alius quidem ſic alius autem ſic. Cer
te quidquid dici potuit & ſublimi ingenio de ſcripturarum ſc̄arum auritis fontibus expoſitum atq;
diſſertum eſt ſed queſo reuerentiam tuam parum ꝑpatiaris meum laudare ingenium. Nos eñi
inter nos eruditionis cauſa diſſerimus. Ceterum emuli & maxime heretici cum diuerſas int̄
nos ſententias uiderint de animi calumniabuntur rancore deſcendere. Mihi autem decretū ē
te amare ſuſpicere colere mirari. tuaq; dicta quaſi mea defendere. AUGUSTINUS
Qui animas ex una propagari adſerunt quam d̄s homini primo dedit atq; ita eas ex parentibus
trahi dicunt. ſi tertulliani opinionem ſecuntur. Profecto eas non ſp̄s ſed corpora ēē contendunt.
& corpulentis ſeminibus exoriri. Quo peruerſius quid dici poteſt. HIERONIMUS
Qui dicunt prius animas fuiſſe quam natae ſunt & non corpori ſecundum exemplum primi homi
nis a d͞o cottidie fieri anathema ſint. AUGUSTINUS
Quis negat non unius tantum ſed om̄n animas creatorem d̄mq; factorem. niſi qui eius eloquiis aper
tiſſime refragatur. ſine ulla quippe ambiguitate ꝑ ꝓph&am dicit. Omne flatum ego feci. ani
mas uidelicet intellegi uolens. HIERONIMUS D͞ns in euuangelio; uidete inquit ne con
temnatis unum ex his puſillis dico eñi uobis quia angeli eorum ſemꝑ uident faciem patris mei qui in
caelis eſt. Magna dignitas animarum ut unaquaeq; habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui angelū
delegatum. ſufficiat nobis memorata credulitas & n̄ra tandem finiatur oratio. Ecce d͞o fauente
feci q͞d flagitaſtis immo quod potui rationem animae iuxta exemplum primi hominis & uerbum
ſaluatoris a d͞no d͞o cottidie fieri. Iamque formato corpori dari totumq; curſum eius breuit
licet ſaltibus potius ſi dici eſt quam paſſibus profeſtinatione ad finem uſque deduxi atque
per tenuitatem ingenioli mei per cunctos eccleſiae magiſtros preſertim per duos pinguidinis
liberos auguſtinum uidelicet & hieronimum aſſiſtentes aureo dextra leuaque candelabro ad inſtar du
orum caeli luminarium cognitioni aliqui dum tractata de qua plurimis eorum opuſculis ſua eis
ſollerti uigilantia & ſagaci perquiſitione inueſtigata reſtituens dicta loqui uelut praeſentes alt
nis uicibus faciat. quid tam rectum quid tam uerum. quid tam catholicum quid ſole clarius ad in
ſtructionem omnium magis utile. contra hereticos certe qui inimica aduerum nos mente de
ſeuiunt quoddam inreprehenſibile. Vos ergo catholicorum uirorum precepta tenaciter
adite quem do uti heredes ſed & neceſſarii. Inuenimini qui latiari eloquio pollentes ſapientiorib;
preferamini & non magis ſtillantis liquoris ſicut profationis conpraehendi quam inundantium fluui
orum ubertate rigati redundaris flumina ſp̄ictorum. EXPLICIT HIRONIMUS DAMASO

[illegible marginal gloss]

Beatissimo papae damaso hieronimus. Origenis cum in ceteris libris omnes uicerit. in cantica canticorum ipse se uicit. Nam decem uoluminibus explicitis quae ad uiginti usque uersuum milia pene perueniunt. primum lxx interpretes deinde aquilam et simmachum theodotionem et ad extremum quintam editionem quam in actio littere (i. litore) inuenisse se scribit. Ita magnifice aperteque disseruit unde mihi uidetur in eo completum esse quod dicitur; Introduxit me rex in cubiculum suum; Itaque illo opere praetermisso quia ingentis est otii laboris et sumptuum tantas res tam digne in latinum transferre sermonem. Hos duos tractatus quos in morem cottidiani eloqui paruulis adhuc lactantibusque composuit fideliter magis quam ornate interpretatus sum ut gustum tibi sensum eius non cibum offerens (transmitterem). Tu animum aduertas quanta sint illa estimanda quae magna sunt cum sic possint placere quae parua sunt.

TRANSLATIO SCI HIERONIMI DE TRACTATU ORIGENIS IN EPYTHALAMICIS

De cantico canticorum tractaturi. quomodo didicimus per moysen esse quaedam non solum sancta sed et sancta sanctorum. et alia non tantum sabbata sed et sabbata sabbatorum sic nunc docemur scribente salamone esse quaedam non solum cantica sed et cantica canticorum; Beatus quidem est et is qui ingreditur sancta sanctorum. Beatus qui sabbata sabbatizat. sed beatior qui sabbatizat sabbata sabbatorum; Beatus similiter et is qui intellegit cantica et cantitat.

a sed beatior qui in greditur

Nemo quippe nisi in sollemnitatibus canit. sed multo beatior ille qui canit cantica canticorum;

Et sicut is qui ingreditur in sancta pluribus adhuc indiget ut ualeat introire in sancta sanctorum. Et qui sabbatum celebrat quod a domino populo constitutum est multo adhuc necessaria habet ut agat sabbatum sabbatorum; Eodem modo difficile repperitur qui omnia quae in scripturis continentur cantica peragrans ualeat ascendere ad cantica canticorum; Egrediaris oportet ex egipto et egressum de terra egipti pertransire mare rubrum ut possis primum canticum canere dicens. Cantemus domino gloriose enim magnificatus est. Licet autem primum dixeris canticum. adhuc longe es a cantico canticorum. Perambula terram deserti spiritaliter donec uenias ad puteum quem foderunt reges ut ibi secundum canticum canas; Post haec ueni ad uicinia sanctae terrae. et super iordanis ripam constitutus canere canticum moysi dicens. Adtende celum et loquar et audiat terra uerba oris mei; Rursum habes necessarium ut milites et terram sanctam hereditate possideas et apis tibi prophetet. et apis te iudicet; Debbora quippe apis interpretatur. ut possis et illud carmen quod in libro iudicum continetur edicere; ad regnorum deinceps uolumina ascendas ueni ad canticum quando dauid fugit de manu omnium inimicorum suorum et de manu saul et dixit. Dominus firmamentum meum et fortitudo mea et refugium meum et liberator meus. Peruemendum tibi est ad esaiam et ut cum illo dicas cantabo canticum dilecto uineae meae; Et cum uniuersa transieris ad altiora conscende ut possis anima decora cum sponso et hoc canere canticum canticorum; Quot (Quod tamen) personis constet incertus sum; Orantibus autem uobis et reuelante domino quattuor in his mihi uidetur inuenisse personas. Virum et sponsam. cum sponsa adulescentulas. cum sponso sodalium greges.

equum et ascensorem proiecit in mare et reliqua

In libro iudicum legitur haec historia

Alia dicuntur a sponsa. alia a sponso. non nulla a iuuenculis quaedam a sodalibus sponsi. Congruum quippe est ut in nuptiis adulescentularum sit multitudo cum sponsa iuuenum turba cum sponso. Haec omnia noli foris quaerere. noli extra eos qui praedicatione euangelii saluati sunt. Christum sponsum intellege. ecclesiam sponsam sine macula et ruga de qua scriptum est. ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid eorum sed ut sit sancta et inmaculata; Eos uero qui cum sint fideles non sunt tamen istius modi quales sermo praefatus est.